



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Agenda Dioecesis Paderbornensis Rituali Romano accommodata**

**Hermann Werner <Paderborn, Bischof>**

**Paderbornæ, 1753**

De formâ Baptismi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36023**

DE SACRAMENTO BAPTISMI  
RITE ADMINISTRANDO.

**S**acrum Baptisma, quod inter alia legis novæ Sacramenta, à Christo Domino instituta primum tenet locum, cunctis ad salutem necessarium esse, ipsa veritas testatur, illis verbis: Joan. 3. **Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.** Itaq; summa, ad illud opportunè, ritèq; administrandum, ac suscipiendum, diligentia adhibenda est.

Cum autem ad hoc Sacramentum conferendum, alia sint de Jure divino absolutè necessaria, ut materia, forma, Minister. Alia ad illius solemnitatem pertineant, ut ritus, ac cæremoniæ, quas ex Apostolica & antiquissimâ traditione acceptas, & approbatas, nisi necessitatis causa, omittere non licet; de iis aliqua præmonenda sunt, ut sacrum hoc ministerium ritè ac sanctè peragatur.

## De materia Baptismi.

**A**C primùm intelligat Parochus, cum hujus Sacramenti materia sit aqua vera, ac naturalis, nullum alium liquorem ad id adhiberi posse.

**Aqua** vero solemniter Baptismi sit eo anno benedicta in Sabbatho S. Paschæ vel Pentecostes, quæ in fonte mundo nitida & pura diligenter conservetur; & hæc, quando nova benedicenda est, in Ecclesiæ, vel potius Baptisterii sacrarium effundatur.

Si Aqua benedicta tam imminuta sit, ut minus sufficere videatur, alia non benedicta admisceri potest, in minori tamen quantitate.

Si verò corrupta fuerit, aut effluerit, aut quovis modo defecerit, Parochus in Fontem benè mundatum ac nitidum recentem aquam infundat, eamq; ex formula infrâ præscripta benedicat.

Sed si aqua congelata sit, curetur, ut liquefiat.

## De forma Baptismi.

**Q**uoniam Baptismi forma his verbis expressa: **Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti**, omnino necessaria est; ideo eam nullo unquam modo licet mutare, sed eadem verba, uno eodemq; tempore, quo fit ablutio, pronuntianda sunt.

*Latinus Presbyter Latina forma semper utatur.*

Cumq; Baptismum iterare nullo modo liceat, si quis sub conditione, de qua infra, sit baptizandus, ea conditio explicanda est hoc modo: **Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris** &c. Hac tamen conditionalis forma non passim; nec leviter uti licet; sed prudenter, & ubi re diligenter pervestigata probabilis subest dubitatio, infantem non fuisse baptizatum.

Baptismus, licet fieri possit per infusionem aquæ, aut per immersionem, aut per aspersionem; primus tamen vel secundus modus, qui magis sunt in usu, pro Ecclesiarum consuetudine retineatur; ita tamen, ut trina ablutione caput baptizandi perfundatur, vel immergatur, per modum Crucis, uno & eodem tempore, quo verba proferuntur, & idem sit aquam adhibens, & verba pronuncians.

Ubi verò Baptismus fit per infusionem aquæ, cavendum est, ne aqua ex infantis capite in Baptisterium, sed, vel in Sacrarium prope Fontem ipsum exstructum defluat, aut in aliquo vase ad hunc usum parato recepta, in ipsius Baptisterii vel Ecclesiæ Sacrarium effundatur.

## De ministro Baptismi.

**L**egitimus quidem minister Baptismi est Parochus, vel alius Sacerdos à Parocho, vel ab Ordinario loci delegatus; sed quoties infans aut adultus versatur in vitæ periculo, potest sine solemnitate à quocunque sive Clerico, sive Laico, etiam excommunicato, sive viro, sive fœmina, baptizari in qualibet lingua servata tamen materia, forma, & intentione Ecclesiæ.

Sed si adsit Sacerdos, is Diacono præferatur, Diaconus Subdiacono, Clericus Laico, vir fœminæ, nisi pudoris gratia deceat fœminam potius, quam virum baptizare infantem